



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Regvla Morvm Sive Tractatvs Bipartitvs De Sufficienti Ad
Conscientiam Rite Formandam Regvla In Quo Usus
Cujusvis Opinionis Practice Probabilis Convincitur Esse
Licitus**

Terillus, Antonius

Leodii, 1678

Quæst XXXVI. Vtrùm probabilitas Conscientiæ, à nobis asserta, æqualiter
se habeat ad verum & ad falsum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77827](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77827)

QUAESTIO TRIGESIMA-
SEXTA.

*Virum probabilitas Conscientiae, à nobis asserta;
aqualiter se habeat ad verum & ad
falsum.*

I. I geavinum benignae sententiae sensum Celladeus, ante oculos tenuisset, omisisset, opinor, quaestionem 14. lib. 2. in qua contendit, probabilitatem, à nobis pro conscientiae regula assignatam, aequaliter se habere ad verum ac falsum. Omisisset, inquam, quaestionem hanc, quia nil evidentius, quam nil ejusmodi, sed omnia profus contraria, à nobis doceri, nec ullam inter sententiam benignam & hujusmodi illationem inveniri connexionem. Nihilominus in hac rerum evidentiâ Celladeus videtur sibi omnia contraria videre. Unde quodammodo jactat, se necessitate compulsus fuisse ad aliam conscientiae regulam inveniendam, quae magis se habeat ad verum, quam ad falsum. Verum, eadem hujus, quae plurimum aliarum Celladei deceptionum est origo, nempe indebita benignae sententiae acceptio, atque, quod consequens est, incongrua terminorum æquivocatio, ut mox palam fiet.

ASSERTIO PRIMA.

Ad essentiam veræ, positivæ, ac realis probabilitatis in particulari sumptæ non requiritur, ut apparentia illa magis connectatur cum vero reali quoad se, quam cum falso. Requiritur tamen, ut magis connectatur cum vero quoad nos, seu cum vero apparente, quam cum falso.

Ad probabi. 2. **P**ROBATUR ex asser. 1. quaest. 29. Multa falsa sunt probabiliora veris, immò multa falsa sunt nobis unicè probabilia, ut contingit in iudice, qui ex probationibus profus convincentibus dolosè allegatis damnat innocentem, & in puero credente aliquem esse suum patrem, qui non est. In hujusmodi casibus judicia ista sunt probabilissima, ac prudentissima, & tamen sunt erronea. Ergò ad essentiam veræ probabilitatis in particulari non requiritur, ut apparentia probabilis hæc & nunc magis connectatur cum vero reali quoad se, quam cum falso, quia apparentia illa hæc & nunc non conjungitur cum vero, sed solum cum falso. Hoc tamen non obstante, apparentia illa validè repræsentat objectum suum, ut verum; ideoque vehementer stimulat ad assensum, quod ni faceret, non esset probabilis apparentia veri, ut patet. At hoc est apparentiam illam hæc & nunc magis connecti cum vero quoad nos, seu magis connecti cum vero apparente,

quam cum falso. Hoc autem est essentialè omni apparentiæ probabilis; quia, hoc ablato, nulla apparentia remanere potest probabilis, ut patet.

ASSERTIO II.

Omnis apparentia probabilis magis se habet ad verum reale genericè sumptum, quam ad falsum, licet aliquando aliter eveniat in particulari.

3. PROBATUR. Illa apparentia magis se habet ad verum reale in genere, quam ad falsum, quæ tantæ magnitudinis est, ut propter illam ipsam ejus magnitudinem necesse sit, ex omnibus illi æqualibus plures connecti cum vero, quam cum falso; quamvis hæc & nunc per accidens aliquando in particulari à vero aberret. Hoc videre est in auctoritatibus, quibus judex ille & puer moventur ad assensum; illæ enim sumptæ in genere, ex naturæ necessitate sæpiùs connectuntur cum vero, quam cum falso, quamvis hæc & nunc per accidens in individuo à vero aberrent. Et sanè nisi illa apparentia ex ratione suæ magnitudinis sæpiùs connecteretur cum vero, saltem genericè sumpto, quam cum falso, non mereretur assensum, ut patet. At evidens est, quod mereatur assensum. Ergò ratione suæ magnitudinis magis connectitur cum vero genericè sumpto quam cum falso. Sed omnis apparentia probabilis, contenta in definitione probabilitatis à nobis posita, tantæ magnitudinis est, ut propter illam ipsam suam magnitudinem necesse sit, ex omnibus illi æqualibus plures connecti cum vero quam cum falso, ut fusè ostendi in *tract. de consc. prob. multis in locis, præsertim quaest. 2. à num. 11. fermè usque ad finem, & quaest. 4. à num. 16.* ratio est, quia motivum probabile juxta nos est motivum incertum, sed assensu dignum, seu aptum ad impetrandum assensum à viro probo & perito, non temerè, sed, sicut peritum & probum decet, judicante. At nullum motivum incertum, quod ex vi suæ magnitudinis non connectitur frequentius cum vero quam cum falso, est dignum assensu, ut patet, & fusius explicatum est in locis citatis. Ergò omnis apparentia probabilis magis se habet ad verum reale genericè sumptum quam ad falsum; licet aliquando aliter eveniat in particulari.

Apparentia probabilis magis se habet ad verum reale genericè sumptum, quam ad falsum.

ASSER-

ASSERTIO III.

Ita æquè
probabili-
bus, utra-
que pars
magis se ha-
bet ad verum
genericè
sumptum
quàm ad
falsum.

Quando utraque pars contradictionis est æquè probabilis, probabilitas utriusque partis magis se habet ad verum reale in genere, & ad verum apparens in individuo; quàm ad falsum.

4. **PROBATUR.** Prima pars sequitur ex assertione 2. quia talis connexio est de essentia omnis probabilitatis, ut dictum est. Nec obstat æqualitas probabilitatis, quod minus utraque apparentia ad hanc magnitudinem pertingat, ut constat ex locis proximè citatis ex tract. de Consc. prob. & probatum est quest. 29. assert. 5. maximè num. 27. Probatur secunda pars. Complexio contradictoria non est probabilis, cum evidenter repugnet illam verificari. Itaque probabilitas, quæ habetur, solum suadet utramlibet contradictionis partem scorsim sumptam esse veram. Dantur ergo simul duæ probabilitates, quarum altera suadet unum, altera suadet oppositum. Hoc posito: dico, utramque ex illis probabilitatibus esse magis ad verum apparens & quoad nos, quàm ad falsum. Ratio est clara. Probabilitas partis A. fundatur in rationibus directè suadentibus veritatem ipsius A. & in solutione argumentorum, quæ afferuntur in contrarium. At hæc duo simul sumpta magis sunt ad verum quàm ad falsum, quia magis alliciunt ad assensum, quàm allicant ad dissensum. Imò si rectè loquamur, nullo modo alliciunt ad dissensum, sed solum ad assensum objecti, cui favent; quod certè non facerent, si non magis se haberent ad verum apparens quàm ad falsum. Ergò probabilitas partis A. magis est ad verum apparens & quoad nos, quàm ad falsum. Eadem ratio valet de probabilitate partis B. Ergò utraque probabilitas quoad nos magis se habet ad verum, quàm ad falsum.

ASSERTIO IV.

Probabilitas, quàm benigna sententia præscribit pro proxima conscientia regula, multò magis se habet ad verum quàm ad falsum.

Regula nobis assignata magis se habet ad verum quàm ad falsum.

5. **PROBATUR.** Inprimis benigna sententia pro regula conscientia in obscuris, ad minimum postulat veram probabilitatem. At illa, quæcumque demum sit, magis se habet ad verum, quàm ad falsum ex assert. 3. Ergò &c.

Secundò, id ipsum clariùs probatur declarando sensum sententiæ nostræ. Nemo habet probabilitatem proximè sufficientem pro regulanda conscientia circa ullam partem contradictionis, nisi absoluto iudicio credat illam esse licitam. Nec hoc sufficit, nisi iudicium illud motivo valido ac certò rationabili nitatur, quando nil certi afferatur in contrarium. At evidens est, omne huiusmodi iudicium magis se habere quoad nos ad verum, quàm ad falsum; tum quia fertur in suum objectum tamquam in rem unicè & absolutè veram, & oppositum rejicit ut falsum; tum quia est propria sic iudicantis opinio, quæ non potest non esse ipsi probabilior quàm opposita. Ergò tale iudicium non solum magis se habet ad verum quàm ad falsum, sed solum verum rationabiliter apparens approbat, & oppositum ut absolutè fal-

sum repellit. Hinc constat, regulam à nobis propositam non solum magis se habere ad verum quàm ad falsum, sed unicè se habere ad verum quoad nos seu apparens, cum essentialiter sit representatio sui objecti ut veri & oppositum repellat ut falsum. Præterea eadem regula ex vi suæ magnitudinis magis connectitur cum vero reali genericè sumpto, quàm cum falso, ut constat ex assertione secunda. Quæ cum adeo perspicua sint, miror Celladeum potuisse sibi persuadere, oppositum sequi ex sententia nostra; & ideo magis miror, quia quæ obijcit, aut apertè falsa sunt, aut ingentè terminorum æquivocatione legentibus confusionem pariunt, ut ex ipsius doctrina, mox in objectionibus proferenda, constabit.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

6. **OBJICIT** primò. Quod est commune utrique parti contradictionis, æquè se habet ad verum & falsum. Sed probabilitas à nobis asserta est communis utrique parti contradictionis. Ergò probabilitas à nobis asserta æqualiter se habet ad verum & falsum. Ergò probabilitas non est apta conscientia regula; ineptum enim est existimare regulam illam esse idoneam ad aliquid regulandum, quæ æquè indifferenter se habet ad errandum, ac ad non errandum. Errant proinde omnes, qui ponunt probabilitatem conscientia in contradictione, aut in aliquo, quod utrique contradictionis parti æquè conveniat. At omnes, qui dicunt quamvis probabilitatem partis minus tunc sufficere pro regula conscientia, etsi pars tutior contradictoriæ opposita sit æquè probabilis, ponunt probabilitatem conscientia in contradictione, aut certè in aliquo, quod utrique parti contradictionis æquè convenit. Ergò errant. Ita Celladeus lib. 2. quest. 14. §. 1. ubi gloriatur se, omni æquivocatione remota, omnia explicare in ordine ad verum, qui terminus ab omnibus in uno eodemque sensu accipitur.

7. Respondeo inprimis, Celladeum in aliis quidem quæstionibus magnas, in ista verò, longè maximas æquivocationes passum esse. Et quamvis terminus verum, per quem conatur (sed irritò proflus conatu) omnia explicare, non videatur æquivocus, verè tamen æquivocus est, maximè in casu præsentis, in quo non solum veritas realis & quoad se, sed etiam apparens & quoad nos locum habet. Jam certum est, probabilitatem non posse explicari per connexionem cum vero reali in individuo, quia tunc probabilitas non magis discerni posset, quàm veritas. At veritas ipsa realis certò sciri nequit. Ergò nec probabilitas; quod tamen omnes negant, cum per omnes sapè evidens sit propositionem esse verè probabilem, etsi incertum sit an sit vera. Ergò terminus, in ordine ad quem Celladeus omnem suam explicationem dirigit, æquivocus est, & nisi accipiat in sensu opposito ejus, quem ille considerat, est proflus ineptus ad præsentem disputationem.

8. Respondeo secundò. Distinguo majorem. Quod est commune utrique contradictionis parti, æquè se habet ad verum & falsum, si sit una eademque indivisibilis forma, transeat major; si prædicatum convenientia sit ratio præcisa à diversis formis, quarum una uni alteri parti convenit, nego majorem. Exemplo sint duæ propositiones contradictoriae, simul existentes in duabus mentibus, quarum quælibet sit probabilissima

billissima judicanti, eò quòd sic judicans gravissima motiva habeat pro parte in quam fertur, & patùm aut nil in contrarium. In hoc casu evidens est, nullam dari formam aut probabilitatem realem, quæ æquè se habeat ad verum & ad falsum; nam si sermo sit de connexionione cum vero reali, & quoad se, una tantùm propositio ac probabilitas cum illo connectitur, & eadem repugnat falso; opposita repugnat vero, & connectitur cum falso, ut patet. Ergò utraque non æquè connectitur cum utroque contradictorio, seu cum vero & falso. Si autem loquamur (ut nunc loqui debemus, nisi abs re loquamur) de vero apparente & quoad nos, longè evidentius est, nullam dari formam à parte rei, quæ æquè se habeat ad utramque partem contradictionis; nam opinio affirmativa aliter se habet ad seipsam & ad suum objectum, quàm ad propositionem negativam ipsi contradictoriè oppositam, & objectum illius. Similiter propositio negativa aliter se habet ad seipsam & suum objectum, quàm ad affirmativam ipsi contradictoriè oppositam & objectum illius. Ergò neutra æquè se habet sive ad propositiones, sive ad objecta contradictoria. Rursus certum est, utramque esse præcisè & propriè ad verum tantùm, quia utraque est rationalis tendentia in suum objectum ut verum. Nihilominus ab istis duabus propositionibus abstrahi potest ratio communis non solum iudicii, sed etiam iudicii probabilis, & aliæ complures, quæ rationes æquè se habent ad utramque partem contradictionis, tam formalis quàm objectivæ. Hoc tamen non obstante, certum est, quod nulla sit forma à parte rei, quæ æquè conveniat utrique contradictorio, aut sit æquè indifferens ad verum & falsum. Ergò evidens est, distinctionem datam esse legitimam ac veram; illà autem admisâ, tota evertitur objectio.

cum est argumentum nil valere. Deinde eadem prorsus æquivocatio reperitur in hoc ac in priori illo casu, quia æquè in utroque dantur duæ probabilitates realiter distinctæ, sibi quæ contradictoria, quarum quævis solum se habet ad verum, cum solum ad assensum non ad dissensum alliciat, ut patet ex *asser. 3.* Deinde in hoc casu nil datur à parte rei, quod sit commune utrique contradictorio, nec aliud utrique commune est, quàm prædicatum aliquod ab utroque præcisum. Ergò inevitabiliter incidit in dictam æquivocationem.

11. Majori hoc modo distinctà, eadem ratione minor etiam distinguitur; quia probabilitas, quæ sæpè est & creditur esse æqualis pro utraque parte contradictionis, non est unum quid, sed sunt plures formæ diversæ ac penitus contrariæ, à quibus tamen ratio probabilitatis, & alia prædicata utrique contradictorio communia præcindi possunt. Unde nil invenitur à parte rei, quod æquè utrique conveniat. Secundo, prædicata ista, utrique contradictorio communia, non sunt probabilitas regulandæ conscientiæ sufficiens; ad conscientiam enim regulandam opus est peculiari aliqua specificâ probabilitate, determinatè affixâ parti, quam sequimur, quæ certè utrique contradictorio non convenit. Tertiò, probabilitas, à nobis asserta pro proxima conscientiæ regula, est probabilitas per quam, & propter quam intellectus directè, vel indirectè movetur ad absolute iudicandum partem illam, quam sequitur, esse absolute veram, & oppositum falsum. At evidens est, talem probabilitatem, hic & nunc respectu hujus intellectus, non convenire utrique contradictorio, nec esse æquè indifferentem ad verum & falsum. Unde negatur consequentia, & totum argumentum ruit. Errat proinde Celladeus, dum putat nos ponere probabilitatem conscientiæ in contradictione, aut in aliquo, quod utrique contradictionis parti æquè conveniat; nemo enim ex Catholicis scriptoribus somniavit, contradictionem aut complexionem contradictoriam esse probabilem, aut ullam dari probabilitatem veram & realem, quæ ante opus mentis utrique contradictorio conveniat. Probabilitas, quam ponimus, est probabilitas partis minùs tutæ secundum se totam, prout illa determinatè suadet partem illam esse licitam. Hanc probabilitatem dicimus tunc solum sufficere, quando intellectus vi illius directè aut indirectè surgit ad formandum absolutum iudicium de honestate sui operis: si enim, stante notitiâ de probabilitate partis minùs tutæ, hoc modo conscientiam non formaret, sed in dubio maneret, peccaret indubiè, si opus illud exhiberet. At evidens est, talem probabilitatem utrique contradictorio non convenire. Itaque patenter errat, dum ait, eos, qui dicunt licitum cuique esse sequi quamlibet ex partibus æquè probabilibus, ponere probabilitatem in ipsâ contradictione, aut in aliquo, quod utrique contradictorio commune est.

Probabilitas regulandæ conscientiæ necessitatem, unitantum, non utrique contradictorio convenit.

Errore Celladei indicantur.

9. Peto enim à Celladeo, utrùm benè argueat, qui contenderet, nil esse in duabus dictis propositionibus, quod ex æquo utrique contradictorio non conveniat, eò quòd ab illis abstrahi possint rationes quædam utrique contradictorio communes? Dicit haud dubiè, eum non solum non benè arguere, sed uti æquivocatione palpabili, eò quòd confundat rationem specificam cum generica, & aliud prædicato differentiali non tribuat, quàm quod generico præcisio convenire constat. At hic est casus noster, utpote qui ad hoc ipsum exemplum extenditur, illudque non minùs complectitur, quàm quævis alia contradictoria. Ergò Celladeus malè arguit, & palpabili æquivocatione utitur.

10. Dices, loquimur in præsentia de uno eodemque intellectu, qui utramque conclusionem tamquam æquè probabilem considerat. Ergò frustra obijcitur exemplum illud de duobus intellectibus. Ita Celladeus §. 2.

Respondeo, quæstionem procedere in genere de omni contradictione, ut patet; unde si argumentum vel in uno casu deficiat, nullum est. Deinde esto, restringatur quæstio ad eundem intellectum, considerantem utramque partem ut æquè probabilem. In primis casus iste non est ad rem, quia talis homo per hoc non habet dispositionem seu probabilitatem sufficientem ad proximè regulandam conscientiam, quia nisi directè vel reflectè absoluto iudicio ferat in partem, quam sequitur, tamquam in rem verè honestam, & oppositum ut falsum rejiciat, non habet probabilitatem, quam nos pro proxima conscientiæ regula postulamus. At in hoc sensu perspi-

12. Demùm argumentum hoc ex duplici alio capite labitur. Primum est, quòd non deserviat intento Celladei, quia ipse æquè condemnat usum partis probabilioris, ac æquè aut minùs probabilis. At argumentum applicari non potest contra usum partis probabilioris, quia impossibile est, ut probabilioriras respectu ejusdem intellectus simul conveniat utrique contradictorio. Ergò argumentum ad primarium Celladei intentum non conducit. Secundum est, quòd reipsâ benignam sententiam non impetat, quia benigna sententia reipsâ solum ponit majorem probabilitatem pro

Duplex alius d. fe. ctus argumenti.

sufficienti conscientiae regula; nam nisi directè vel saltem reflexè honestas operis evadat probabilior operanti, quàm ejus inhonestas, nemo excusatur, ut latè probavi in tract. de Consc. prob. qq. 22.

¶ 23. Ergò argumentum hoc non tangit benignam sententiam in sensu proprio ipsius, & prout illa à suis auctoribus declaratur, & defenditur.

Obiectio 2. 13. Obijcit secundò. Intellectus, qui motiva oppositis contradictionis partibus faventia considerat ut æqualia, tantum habet pro falsitate, quantum pro veritate cujusvis partis. Ergò æqualiter se habet ad verum & falsum. Ergò probabilitas à nobis asserta æquè se habet ad verum & falsum.

Responsio. Respondeo, intellectum sic dispositum, si aliud illi non addatur, æqualiter se habere ad verum & falsum, & propterea talis dispositio non est sufficiens regula ad licitè sectandam partem minus tutam, cum ad hoc absolutum judicium de honestate operis formandum sit, ut sæpè dictum est. Itaque concedo antecedens & primam consequentiam, quia intellectus habet duas formas æquales, quarum una alteri contradicit, unde quantum habet pro veritate partis A, per unam formam, tantum habet pro falsitate ejusdem per alteram. Verum ultima consequentia non sequitur, quia probabilitas à nobis asserta non consistit in utraque illa forma sumpta per modum unius, sed solum in singulis. Singulæ autem magis se habent ad verum, quàm ad falsum, ut constat ex asser. 2. & 3. Sunt ergò tunc duæ formæ æquales in intellectu, quarum singulæ feruntur præcisè in veritatem sui objecti & falsitatem oppositi; ac proinde probabilitas utriusque partis est par; sed nulla est probabilitas utriusque parti communis, quæ æquè se habet ad verum & falsum. Verum quidem est, quod probabilitas A non magis suadeat veritatem objecti sui, quàm probabilitas B illam dissuadeat. Similiter verum est, quod probabilitas A non magis se habeat ad veritatem sui objecti, quàm probabilitas B se habeat ad ejusdem objecti falsitatem. Sed hoc non est ad rem in præfenti, quia solum queritur, an probabilitas A æquè se habeat ad verum & falsum. Hoc autem est evidenter falsum, ac proinde contrarium absque fundamento à Celladeo asseritur.

Obiectio 3. 14. Obijcit tertio. Quando idem intellectus simul concipit conclusiones contradictorias, simulque perpendit motiva æqualia singulis faventia, non magis agnoscit dari, quàm non dari conclusionem. Ergò, consideratis omnibus, totoque objecto tam in se quàm etiam quoad nos simul sumpto, adest totalis indifferentia ad verum & falsum. Ergò ponere probabilitatem conscientiae in hoc objecto, est eam ponere in objecto totaliter indifferenti ad verum & falsum. Ergò non ponitur in fundamento gravi, immò nec in levi, sed in nullo; quia fundamentum totaliter indifferens ad conclusionem & non conclusionem, seu ad verum & falsum, non est fundamentum grave aut leve, sed prorsus nullum. Ergò non est probabilitas conscientiae.

Confirmatur; si totum hoc objectum non sumatur per modum unius, sed quasi per partes dividatur in duas conclusiones & duo fundamenta, dici posset, quòd non incarnatio v. g. & quævis hæresis nitatur fundamento gravi ac probabili, quia si totum pro utraque parte contradictionis non sumatur simul per modum unius, sed pars contra incarnationem solitariè sumatur, ex illa magis sequitur non incarnatio. Ita Celladeus §. 2.

Celladeus Respondeo Celladeum duplici de causa frustra laborare in hoc argumento. Primò laborat, ut

concedatur consequentia, quam ultro concedimus; nempe dispositionem illam intellectus, de qua nunc loquimur, non esse proximam ac sufficientem regulam, seu propriam probabilitatem conscientiae; illa enim consistit in judicio absoluto, quo pars aliqua probabiliter judicatur licita, & oppositum absolute rejicitur ut falsum, ut sæpè dictum est. Ergò frustra laborat ad hoc persuadendum. Secundò frustra laborat, quia totum argumentum evidenter procedit de subjecto non supponente, quia supponit tam utramque conclusionem contradictoriam, quàm utrumque fundamentum contrarium sumi per modum unius. At hoc est impossibile, quia nec propositiones illæ in unam assertionem, nec fundamenta illa ob essentialem repugnantiam coalescere possunt in unum fundamentum. Kursus nemo dicit, aut dicere potest, ipsam complexionem contradictoriam esse probabilem, cum sit evidenter falsa & impossibilis. Similiter intellectus stimulari non potest ad illam affirmandam. Ergò nullum datur fundamentum pro tali complexione. Ergò argumentum procedit de subjecto non supponente.

15. Præterea Celladeus ipse fatetur, totum illud motivum sumptum per modum unius, non esse motivum, cum nulla ratione stimulet ad assensum. Ergò evidens est illud non esse motivum, de quo loquimur; nam certum est, intellectum in casuposito habere duplicem stimulum tendentem ad opposita; ab una enim parte stimulatur ad assensum, & ab altera parte ab assensu retrahitur ad dissensum. Ergò ibi sunt actu duo motiva, quæ simul sumpta nil suadent, quia simul sumpta per modum unius fundamenti sunt chymæra, cum in unum coalescere non possint. At singillatim movent. Ergò distributivè sumpta sunt motiva & fundamenta. Errat ergò Celladeus, dum contendit, in hoc casu nullum prorsus esse fundamentum.

16. Quoad confirmationem attinet, sequela est prorsus nulla; quamvis enim omnis hæresis habeat aliquod fundamentum, non tamen habet fundamentum grave, sed leve & imprudens; quia omne fundamentum hæresis tantà vi superatur à fundamentis credibilitatis mysteriorum fidei, ut nemo citra immensam temeritatem & summam imprudentiam, possit illi assensum præbere, unaque fidem sufficienter propositam repudiare. Verum quidem est, quod non incarnatio magis sequatur ex fundamento illius hæresis, quàm incarnatio; hoc enim proprium est omni motivo etiam temerario ac minimo. Verum hoc ad probabilitatem, seu ad fundamentum grave non sufficit; oportet enim omnia considerare, ac ponere ex una parte fundamenta positiva ac negativa unius, & ex altera parte fundamenta positiva ac negativa alterius propositionis, atque illa inter se comparare. Si fundamenta unius propositionis incomparabiliter prævaleant, fundamenta propositionis contradictoriæ non sunt gravia, prudentia, & probabilia, sed levia, imprudentia, & temeraria, ut patet. Jam fundamenta credibilitatis fidei hoc modo evidenter superant motiva hæresum. Ergò omnes hæreses sunt evidenter improbables, quamvis non careant motivis sollicitantibus ad assensum.

17. Obijcit quartò. Auctores benignæ sententiae, in casu probabilitatis utriusque contradictoriæ æqualiter faventis, dicunt nos excusari per hoc, quod etsi voluntas Dei detur, non tamen sit sufficienter promulgata. At hoc non satis est. Nam si utramque partem esse probabilem esset legem non esse sufficienter promulgatam, in talibus & de tali-

de talibus non esset disputandum, an sint peccata necne; quia certum est, leges non promulgatas non obligare; & qui supponit legem non esse promulgatam, non amplius disputat an hoc vel illud sit peccatum contra legem. At in contradictoriis utrimque probabilibus disputatur, an liceant necne, & libri de istis rebus implentur, quod frustra fieret, si ex hoc capite peccandi periculum cessaret. Ita Celladeus §. 3.

Responsio. Respondeo, nos ita quidem discurre, sed in hoc ipso jam reflexe procedimus, & per fundamentum reflexum absolute credimus, utramque partem contradictionis obiectivae esse licitam. Habemus ergo regulam non aequè indifferentem ad verum & falsum, sed expressè determinatam ad solum verum, & nisi hanc haberemus, non excusaremur. Jam quod hic discursus noster sit bene fundatus, constat ex iis, quae hac de re scripsi *quæst. 23. de Consc. prob. num. 14. & multis seqq.* Nec metuendum est ab iis, quae Celladeus minatur, *se libro 3. contra hoc allaturum*, inveniemus enim ea in nullo melius fundata esse, quam quae hactenus attulit, quae certè aut æquivocationibus plenissima sunt, aut de subiecto non supponente procedunt, nec quidquam concludunt. Jam ergo ad argumentum, fateor non amplius disputandum esse an lex obliget, si post debitam diligentiam præmissam utraque pars inveniatur esse certè probabilis; & in hoc omnes conveniunt, qui unanimiter asserunt, utramque partem in eo casu esse licitam; ac proinde disputatio ulterior cessat, nec quisquam de eo dubitasset, nisi pauculi aliqui (qui tamen non bene intellexerunt sensum nostrae sententiae, ut sæpe ostendi) absque necessitate ac sufficienti fundamento jam stabilita in dubium revocassent. Hos imitatus est Celladeus, sed magis irritò conamine, quia solus contra omnes novam sententiam invexit, quæ omnem etiam majorem probabilitatem à conscientia regulanda removet. Itaque fateor, eum frustra hunc laborem assumpsisse, cum nulla planè esset necessitas quaestionem hanc reflexam in dubium revocandi ac iterum determinandi. Unde nos, postquam semel certè probabilitate utrimque aequali, non amplius ambigimus, an pars minus tuta liceat, quia jam supponimus legem illam non esse quoad hoc sufficienter promulgatam. Nec tamen frustra disputatur de honestate talis operis, quia disputationes illae procedunt in sensu directo, in quo sensu sunt valde utiles ac necessariae, quia omnes tenentur conari ad veritatem ipsam directè sumptam inveniendam, ut sæpe dictum est. Quod si quis ambigat, an lex in eo casu sit sufficienter promulgata seu applicata, bene facit hoc ipsum investigando. Nos illud investigavimus, & illud verum esse invenimus; unde merito intulimus, utramque contradictionis partem in eo casu esse licitam, atque eam illatione quaestionem determinavimus.

ALIÆ OBJECTIONES

solvuntur.

Obiectio 18. **O**BJECIT primò. Velle usurpare pro regula aliquid aequaliter indifferentens ad verum & falsum, quin hæc indifferentia tollatur, est tanti facere falsum quanti verum quoad regulandos mores. At tanti facere falsum quanti verum ad regulandos mores est illicitum, & contra Dei legem, quia est tanti facere non operari juxta voluntatem Dei, quanti operari juxta illam. Ergo illicitum est velle id usurpare pro regula quod

aequaliter indifferentens est ad falsum & verum, nisi indifferentia tollatur. Sed qui assumit pro regula quamlibet ex partibus aequè probabilibus, vult usurpare pro regula, quod aequaliter indifferentens est ad falsum & verum, quin illa indifferentia tollatur. Ergo illicitum est velle usurpare talem regulam. Probatur major. Assumptio illius regulae huic voluntati aequivalet. *Ego volo sumere pro regula mei actus hanc opinionem, quæ an sit vera vel falsa nescio, cum tantum habeo pro ejus falsitate, quantum pro veritate.* Hoc autem perinde est, ac velle quem se regulare per opinionem hanc sive sit vera sive sit falsa, & per illam sive veram sive falsam honestè operari, quia existimat mores suos fore honestos ex vi regulae, sive illa regula fuerit vera sive falsa. Ergo tanti facit falsum quanti verum in ordine ad regulandos mores. Stat ergo major. Reliqua legitime deducuntur. Ita Celladeus *lib. 2. quæst. 15. §. 2.*

Responsio. Transeat totus primus syllogismus, si sumatur ut jacet. Sed nego minorem subsumptam; quia quando opiniones directæ sunt & habentur aequè probabiles, intellectus neutri parti assentitur, sed manet in quodam æquilibrio, ut patet. Jam Celladeus supponit, hanc dispositionem intellectus, seu hanc directam probabilitatem assignari à nobis pro regula conscientiae, antequam illius indifferentia tollatur. Hoc autem falsissimum est; expressè enim dicimus, eum peccare, qui non aliter dispositus, absque judicio de absoluta honestate operis, minus tuta sectatur; non quia sequitur regulam aequaliter indifferentem ad verum & falsum (hoc enim verum non est, ut constat ex dictis) sed quia manet dubius, nec ex bona fide operatur. Itaque audacter dico, Celladeum non intelligere sensum opinionis, quam impugnat, si ita eam intelligat, sicut verba ipsius hac in quaestione mentem ipsius exponunt. Sensus ergo nostrae sententiae est iste. Quoties utraque pars contradictionis, directè considerata, est, & creditur esse aequè probabilis, toties licet sequi quamcumque partem voluerimus, quia obiectum illud, quod directè consideratum non sufficienter movet intellectum ad assensum, nec magis apparet honestum per hæc motiva, quam inhonestum per illa, quod idque proinde quoad nos, omnibus pensatis, videtur indifferentens ad verum & falsum, illud, inquam, obiectum jam non amplius directè sed reflexè consideratum, prout substans huic probabilitati atque incertitudini insuperabili de directæ ipsius veritate &c. per motiva potentissima cognoscitur esse licitum, & absoluto judicio affirmatur esse tale, omni eo, quod assertur in contrarium, rejecto ut falso.

19. Hoc supposito, regula, quam in casu parisi probabilitatis directæ sequimur, alia est obiectiva, alia formalis: formalis est ipsa benigna sententia, quæ reflexè considerat opiniones contradictorias ut directè aequè probabiles: obiectiva est obiectum opinionum directarum non nudè sumptum, sed ut vestrum novis circumstantiis, nempe ut substans probabilitati, possessioni libertatis, insuperabili veritatis ignorantiae &c. quod obiectum directum est ab obiecto opinionum directarum, ut patet. Jam neutra ex istis regulis aequaliter se habet ad verum & falsum, sed utraque determinatè se habet ad verum tam quoad nos, quam etiam quoad se, quia utraque & reputatur, & est reipsa vera; obiectum quidem veritate transcendentali, actus verò judicativus veritate formali. Itaque regula obiectiva in casu objectionis non est obiectum à probabilitate directæ propositum; quod

Celladeus arguit ex subiecto non supponeate,

Regula tam formalis quam obiectiva cum sola veritate connectitur.

hic & nunc, omnibus inspectis, est quoad nos magis verum quam falsum, sed est illud idem obiectum novis circumstantiis vestitum, per quas indifferentia illius ad verum & falsum tollitur, & sic tandem evadit regula apta ad conscientiam dirigendam. Rursus regula formalis est absoluta unio hujus regulæ obiectivæ cum intellectu, quæ consistit in absoluto iudicio, quo credimus obiectum illud, omnibus inspectis, esse licitum, & oppositum absolute rejicimus ut falsum.

Celladeus
mira contra
nos absque
fundamen-
to objicit.

20. Jam, si argumentari contra opinionem benignam eo modo, quo Celladeus argumentatus est, non sit argumentari ex subiecto non supponente, terminisque per æquivocationem abuti, nemo dixerit, quæ sint ejusmodi vitia in arguendo. Te ipsum, Celladee, iudicem appello, ut statuas, an illa verisimilitudinis specie dici possit, nos, reflexe eligentes hanc regulam, hujusmodi volitionem elicere, *Ego volo sumere hanc opinionem pro regula mei actûs, quæ an sit vera, vel falsa nescio, cum tantum habeam pro ejus falsitate, quantum pro veritate?* Nonne expressè dicimus, opinionem directam secundum se acceptam, non esse regulam, sed obiectum illius novis circumstantiis affectum nos regulare? nonne apprehensiones, quibus utraque propositio obiectiva pari claritate directè representatur, ut insufficientes pro conscientia debite formanda rejicimus? Docti bene norunt, quod hæc rejiciamus ut insufficientia. Nihilominus si obiecta illa reflexè considerentur ut substantia hisce apprehensionibus, & insuperabili veritatis ignorantia &c. habemus novum obiectum, quod ponimus pro regula. Sed quid? Dicimusne de hoc obiecto, seu de hac opinione obiectiva, quod ignoremus, verane sit, an falsa? Quod tantum habeamus pro ejus falsitate, quantum pro veritate? Imò è contrario hæc est nostra sententia, hanc unicè veram esse dicimus & scimus; tantum habemus pro ejus veritate, ut nil simile pro opposito afferri possit. Cur ergo hæc & hisce similia absque fundamento objicis?

Celladeus,
ut se tutetur,
ad nostram
responsionem
confugere
debet.

21. Demùm hoc addo, Celladeum ipsum, nî ad hanc ipsam doctrinam confugiat, seipsum tutari non posse: siquidem lib. 2. quæst. 14. § 3. & alibi, fatetur cum Valquio 1. 2. disp. 67. cap. 1. *Dubium negativum, utpote sine ulla ratione conceptum, prompè & sine ulla ratione deponi posse, quia ipsa nulla ratio, est ratio contra nullam rationem.* Hæc Celladeus. Sed quomodò illa subsistunt? Nonne hic dubium ipsum eligitur pro regula? At dubium indifferenter se habet ad verum & falsum. Ergo hic eligitur regula indifferens ad verum & falsum. Quid respondes, Celladee? Utêris, nî fallor, simili responsione, & dices, dubium directè & exercitè sumptum non esse regulam, quia est indifferens ad verum & falsum, sed dubium ipsum reflexè cognitum, prout substat carentiæ fundamenti ad dubitandum, esse regulam debite formandi conscientiam, quia hæc ratione non est dubium, sed movet ad assensum, quo credimus rem illam hæc & nunc, dubio illo directo non obstante, esse licitam.

Obiectio 2.

22. Objicit secundò, Eligat aliquis pro decem operandi opportunitatibus decem opiniones, habentes contra se contradictorias æquè probabiles. Hic nescit, an illæ futuræ sint veræ an falsæ, seu an juxta an contra legem Dei: fortassis enim omnes futuræ sunt falsæ, fortè omnes veræ, fortasse aliqua falsæ, aliqua veræ. Ergo assumit non regulam pro regula, quia omnia mero casu committit. Deinde electio illius regulæ huic volitioni æquivalet. *Ego volo dirigere hos decem actus meos per*

hanc regulam, quam nescio, an semper, an nunquam futura sit contra legem Dei, quamvis adhi valissimam præsumptio, illam dimidia circiter ex parte fore juxta, & dimidia fermè ex parte contra legem. Hæc voluntas mala est & peccaminosa. Ergo peccatum est eligere opiniones minus tutas, si solum sint æquè aut minus probabiles, pro regula conscientia.

Respondeo, Celladeum hic iterum ex eodem subiecto non supponente, & mala opinionis nostræ intelligentia præcipitanter currere per devia & ad miras sed malè fundatas consequentias deflectere. Quare ut omnes errorem ejus clarè perspiciant, respondeo primò indirectè per instantiam duplicem. Prima instantia sumitur à dubio negativo sine ratione concepto, & sine ratione disposito. Quid fiet de homine eligente dubium sine ratione conceptum pro regula scæ conscientia? decem vicibus? nonne dubium sine ratione conceptum æquè indifferens est ad verum & falsum, sicut opinio utrimque est probabilis? Ergo qui hanc regulam eligit, casu se committit, & habet volitionem similem illi in objectione proposita. Et tamen Celladeus fatetur, hanc regulam in dubio negativò sitam, esse sufficientem. Videat ergo quid ipse respondeat, & debitam solutionem inveniet.

23. Secunda instantia est, quod argumentum nimis probet, quia non solum probat, necessariam esse regulam magis se habentem ad verum quam ad falsum, sed probat, necessariam esse regulam, quæ indefectibiliter se habet ad verum; si enim non fuerit indefectibiliter vera, qui illam usurpaverit, sciet se juxta illam operando aliquoties facturum contra legem Dei. At eligere talem regulam, & velle operari juxta illam, est contemnere legem Dei & peccare. Itaque argumentum urget Celladeum, qui hoc loco expressè fatetur, se ponere regulam non omnino indefectibilem.

24. Respondet Celladeus, argumentum sibi videri convincens, quod proinde non ideo infirmum esset, si contra ipsum probaret; sed evinceret, ipsum quoque in regula assignanda defectivum. Unde exceptio esset ad hominem, non autem in re. Deinde respondet, se infra ostensurum, quomodò homo uti possit regulâ defectibili, & tamen nolit, nec sæpius nec semel contra legem Dei agere. Secunda hæc responsio, si subsisterit æquè solvet argumentum contra nostram sententiam, ac contra opinionem Celladei. Prima responsio ostendit, Celladeum esse minus fixum in argumento levissimo, illudque habere pro demonstratione, quod nullius est prorsus ponderis.

25. Itaque, respondeo secundò directè. Eligens decem opiniones minus tutas, quæ directè sunt solum æquè probabiles ac tutiores oppositâ, verè nescit, an illæ sint omnes veræ, an omnes falsæ? an medio modo se habeant? habet tamen præsumptionem, quod totidem fermè sint veræ, quot falsæ. Nemo de hoc dubitat, quia ille non magis fertur in eas veras quam falsas, cum habeat paria motiva ad credendum, quod sint falsæ, ac veræ, & nulli parti assensum præbeat. Sed inde non sequitur, quod assumat non regulam pro regula, & casu se committat. Sequeretur hoc quidem, si aliam regulam non haberet, quàm apprehensiones exercitè manifestantes obiecta illa ut non magis vera quam falsa. Verùm nec illæ apprehensiones, nec obiecta per illas proposita sunt regula, quam usurpat; & quicumque arbitrat nos talem regulam ponere, crassissimè hallucinatur. Nos enim pro regula obiectiva ponimus obiecta

objecta illa aliter circumstantiata, quam sint, prout directis apprehensionibus repræsentantur; nunc enim considerantur reflexè, usubstant certæ probabilitati, ac insuperabili veritatis ignorantiæ &c. Et de illis hoc modo consideratis, dicimus, quod sint regula nunquam à vero defleccens, & quod plus est, dicimus regulam hanc esse indefectibilem, quidquid sit, an positio illorum objectorum futura esset juxta vel contra voluntatem Dei, si directis tantùm illis apprehensionibus regulata fuisset, quia constat objectum illud istis circumstantiis regulatum, non esse contra legem Dei.

parentem; quæ tamen non est lex hîc & nunc verè obligans, sed solum est lex quædam merè grammaticaliter dicta saltem relatè ad istas circumstantias. Hoc posito, æquivocatio Celladei detegitur: ille enim confundit voluntatem ac legem Dei grammaticaliter sumptam, cum lege Dei verè obligante, & hîc & nunc vim legis exerente. Ratio est, quæ putat, voluntatem ac legem Dei, in casu paris utrimque probabilitatis apparentem, esse legem verè obligantem, quæ vim legis exerat; cum tamen hîc & nunc sit lex merè grammaticaliter sumpta, quæ nec obligat, nec obligare potest, aut vim legis exerere. Non enim magis obligat, si existat, quam si non existat, quia non magis applicatur voluntati si existat, quam si non existat. At si non existat, nec obligat, nec vim legis exerit. Ergò neque obligat hîc & nunc, quamvis existat. Quomodò enim obligare potest, cum post omnem diligentiam adhibitam non magis appareat existere, quam non existere? Certè non est cur magis obliget, quam opposita voluntas permittens, æquè apparens, excuset. Itaque veritas est, nullam ex istis voluntatibus esse verè hîc & nunc obligatoriam seu permissivam pro hisce circumstantiis. Similiter veritas est, hominem taliter dispositum non ideo peccare, quia facit contra legem hanc incertam, sed quia peccat contra legem certam certò vetantem ne operetur in dubio. Itaque si in casu ejusmodi dubium prudenter deponatur, homo non peccat, etsi fortasse contrarietur voluntati ac legi dubiè apparenti, quia illa non est vera lex, nec voluntas hîc & nunc verè obligatoria. Præterea quæcumque tandem illa sit, non ad has, sed ad alias tantùm circumstantias refertur.

Celladeus confundit legem grammaticaliter sumptam cum lege verè hîc & nunc obligante.

Præsentia Celladei demonstratio profus vana & irrita.

26. Quod si Celladeus dicat, regulam hanc non solum non esse indefectibilem, sed ne quidem veram, respondeo illum in utroque decipi, ut constat ex toto hoc opere, & ex *quæst.* 19. 20. 21. 22. & 23. de *Consc. prob.* Cæterùm quod ad præsens attinet, negare non potest, regulam hanc à nobis electam, quoad nos saltem, esse & haberi indefectibilem, omni quæ secundum illam operanti persuasum esse, se in nullo ex omnibus decem suis actibus operaturum contra legem Dei. Itaque eligens talem regulam, non eligit regulam indifferentem ad verum & falsum, sed soli vero semper alligatam; nec arbitratur se aliquoties offensurum contra Legem, sed absolutè dicit, se per hoc nunquam ulli legi Dei repugnaturum. Ergò voluntas usurpans hanc regulam non est mala, sed justa ac profus rationabilis.

Regula nostra debitu Deo respectu defert. Regula Celladei non item.

27. Interim perspicuum est, nostram regulam esse longè rationabiliorem, & respectu Deo debito magis conformem regulâ Celladei. Ille enim ponit regulam, quam ipsemet agnoscit esse defectibilem. At nos ponimus regulam, quam asserimus esse indefectibilem. Ergò nos in electione regulæ nostræ debito respectu ferimur in Deum, quia ita disponimur, ut eam non eligeremus, nisi maximis fundamentis ducti crederemus, nos nil unquam facturos contra ipsius voluntatem & legem. At Celladeus eligens suam regulam, caret hoc respectu debito, quia illam arripit in regulam, dum conscius est, se illam sequendo nonnunquam saltem peccaturum in legem, & contraventurum voluntati Dei.

Regula quam asserimus non subest periculo violandi legem ullam verè obligantem.

28. Est & alia æquivocatio in voce illa *contra legem, contra voluntatem Dei*: siquidem lex seu voluntas Dei obligans, dupliciter sumitur: primò, pro lege grammaticaliter sumpta, seu pro lege aliquo modo apprehensa: secundò, pro lege verè obligante, ac vim legis exerente. Quod hæc duo sint separabilia certum est, quia possidens rem, de qua dubitat an ad alium spectet, formidat ne fortè retineat alienum, & consequenter ne fortè faciat contra voluntatem Dei universè jubentis, alienum invito Domino non esse retinendum. Jam certum est, possidentem rem in dubio non violare ullam legem Dei verè obligantem, & vim legis exerentem contra eum, quamvis fortè faciat contra legem ac voluntatem Dei aliquo modo ap-

Alia facilis & clara solutio argumenti, quod Celladeus jactat esse insolubile.